

D E F U N C T I

† P. Antonius Hollmann (1893-1958)

*(Vice-Prov. de Karlsbad)*



P. Antonius Hollmann natus est die 2 sept. 1893 in Mittellangenau, dioecesis Reginae Gradecensis (Königgrätz), in Bohemia. Absolutis studiis gymnasialibus penes Patres Iesuitas in Mariaschein, anno 1912 in Seminarium dioecesis Litmericensis intravit et 2 iul. 1916 ordinationem sacerdotalem recepit. Transactis aliquot annis in cura animarum ordinaria in dicta dioecesi, anno 1923 nostrae Congregationi nomen dedit inter sodales Vice-Provinciae de Karlsbad, tunc vocatae Vice-Prov. Zwittaviensis. Novitiatum peregit in Philippsdorf Bohemiae septentrionalis, ibique 14 sept. 1924 sese per vota religiosa Congregationi consecravit.

Superiores eum anno insequenti Sub-Drectorem iuvenatus S. Annae prope Plan nominarunt et post biennium eiusdem Seminarii minoris Directorem. Quo munere praeditus usque ad annum 1939, plures ex hodiernis Vice-Provinciae Patribus iunioribus educavit atque formavit. Triennio 1939-1942 Rector fuit in Monte Matris Dei prope Grulich, deinde Superior novissimae domus Gablonz, donec anno 1946 cum aliis Germanis e Cecoslovachia expelleretur.

P. Hollmann tunc in Provinciam Monacensem (Germaniae Superioris) assortitus est, ibi quoque operam suam assidue praestans. Per complures annos moderabatur domos exercitorum Schönenberg et Cham; et cum 2 oct. 1953 P. Augustinus Reimann, eousque Superior Vice-Provinciae de Karlsbad, ad gubernandam Provinciam Austriacam promotus esset, in munere Visitatoris successorem habuit Patrem Hollmann. Hic tamen residere perrexit Herbipoli (Würzburg), quia ibi etiam recens fundatam domum et paroeciam, a S. Alfonso denominatas, regebat. Anno 1954, mense februario, Capitulo Generali Romae habitu interfuit, utpote a Patribus dispersis suaे Vice-Provinciae electus.

Subitanea morte P. Hollmann 28 febr. 1958 e vivis sublatus est. Postquam enim sacerdotibus in St. Johann am Wendelstein (Brannenburg) exercitia spi-

ritualia solito suo zelo tradidit, in quadam deambulatione, syncope cardiaca correptus, inanimis concidit. Sepulcrum suum invenit apud tot alios confratres in coemeterio subterraneo Garsensi. Funebre elogium, praesentibus permultis sodalibus, duo PP. Provinciales, Reimann et Scherzl, pronuntiarunt, et Consultor Generalis, P. Pohl, qui fortuito aderat, in fine ad *Libera* absolutionem dixit.



P. Hollmann fuit sodalis Vice-Provinciae de Karlsbad vere eminens, cuius merita imprimis in campo paedagogico quaerenda sunt. Fortiter urgebat inter subditos disciplinam, quamquam eius severitas vertentibus annis maiori clementiae cessit. Omnes autem sciebant hunc educatorem ipsum quoque facere primum omnia quae ab aliis postulabat.

Etiam in campo apostolico ad regnum Dei dilatandum P. Hollmann nobis paeclarata exempla reliquit. Non poterat quidem saepe exire ad missionales expeditiones, cum in iuventute e pulmonibus laborasset; sed eximus moderator exercitiorum spiritualium erat, sive ad sacerdotes sive ad religiosos utriusque sexus. Qua de re haud raro nominatim ad talem praedicationem efflagitabatur. Etiam singulae animae haud paucae eius directionem illuminatam quaerebant; erat quippe vere « pater spiritualis » et vere vir orationis, qui e vivo cum Deo commercio caeleste lumen hauriebat.

Insuper P. Hollmann erat fratum amator et populi sui Sudeti, qui ad iuridicam suae Vice-Provinciae constitutionem praecipuam operam contulit.

Post eius obitum Superior Provinciae Monacensis, P. Simon Scherzl, in sua epistula circulari diei 18 mart. 1958 scripsit: « In Patre Hollmann non modo prudentem Visitatorem Vice-Provinciae de Karlsbad ac sollerterem Rectorem domus Würzburg amisimus, sed etiam eximum missionale et recessuum praedicatorem, necnon religiosum observantem vitaeque interioris amantem. Praesertim in exercitiis spiritualibus apparebat quantopere eius anima Deo unita esset. Det ei Dominus suam pacem, et lux sempiterna luceat ei ».

Chr. CHRISTL - Cl. HENZE, C.SS.R.